



1. Baumgarten / Siziim. Jac. / Diff. de prestantia Religionis revelate pro naturali, Halle 1743.
2. Bebelij / Palthaf. / Diff. de Civ. mortuis, Jena 1773.
3. Diff. de primogenitura ex mortuis rediivi domini nostri Jesu Christi grand. f. 1743.
4. Behm / J. H. / Diff. de Luceis a lectione Scripturæ sacre non arrendis Regim. 1792.
5. Clauswitz / Bened. Gottl. / Diff. de Authographorum Bibliorum jactura, rei Christiane et innocue et utili, Halle 1743.

28

DISSERTATIO ACADEMICA  
DE  
ALLEGATIONE  
JEREMIÆ  
à MATTHÆO  
C. XXVII. v. 9. & 10. FACTA.

---

Quam  
Deo Juvante  
PRÆSIDE  
JOHANNES ADAMO  
OSIANDRO,  
Græcæ Linguæ Professore Publ. Ord.  
Pro Gradu Magisterii legitimè obtinendo,  
Die *Maji A. MDCCXLII.*

In Auditorio Philosophorum æstivo publicæ ventilationi  
submittit  
JOHANNES LUDOVICUS HARTMANN,  
Neomontanus,  
Serenissimi Stipendiarius & Magisterii Philos. Candidatus.

---

TUBINGÆ,  
Litteris PFLICKII & BAUHOFII. *b*

24

IN SENIUS ANTHONIUS

DE

ALLEGATIONE

ERRATA

MATTHIO

C. XXVII & C. XXXI. FACIA

QUM

AD IUDICIA

PER IUDICIA

IOHANNES ADAM

CONSTITUTIO

GRACIA IN FORTISSIMO

NO GREGORIO

DE

IN

IOHANNES LUDOVICUS

CONSTITUTIO

IN

DE

IN





## INTROITUS.



Liada post Homerum scribere videtur, qui de allegatione Jeremiæ, à Matthæo capite vicesimo septimo, commate nono & decimo, facta, disquisitionem instituit. Quis enim nescit, locum hunc difficillimum in Germaniâ, Galliâ, Belgio & Angliâ ventilationi publicæ fuisse expositum? Quem fugiunt Interpretum omnium ferè sectarum & explicationes & detorsiones dicti nostri? Quis ignorat, primæ cavæ Criticos in determinatione suæ sententiæ vel titubasse, vel & ἐποχὴν elegisse? ut proinde vix aliquid dici possit, quod non dictum sit prius. Ast eapropter calamus adeò non est abjiciendus, ut potius arbitremur, in tanto sententiarum divortio non inutili planè operâ nos defuncturos esse, si paucis, sed solidè, tam præcipuas Interpretum sententias examinaverimus, quam nostram qualemcunque interpretationem, eâ, quâ par est, animi moderatione, in medium protulerimus.

Occasionem hanc nobis subministravit *Per-eximius* & *Præstantissimus Dominus Candidatus Respondens*, qui proprio eoque prorsus laudabili motu de conscribendâ Dissertatione illo ipso die nos compellavit, quo in Collegio privato de hac allegatione satis difficili verba fecimus. Sanctus autem Dei Spiritus, cujus instinctu allegatio hæc ab Evangelistâ Matthæo est prolata, in adiutorium nostrum plurimum intendat!

§. I.



Verba Matthæi ex Jeremiâ allegata in fonte ita currunt: Τότε ἐπληρώθη ἡ ρηθὲν διὰ Ἰερεμίας ἡ Προφήτης, λέγοντος· Καὶ ἔλαβον τὰ ἱεράκοντα ἀργύρια, ἣν ἡμῶν ἡ ἱεραμείω, ὃν ἐλήμισαν ἀπὸ τῶν Ἰσραηλ. Καὶ ἔδωκαν αὐτὰ εἰς τὸν ἀγρὸν ἡ κεραιμείω, καθὰ συνέλαξέ μοι Κύριος. Heic ante omnes alios eorum facimus mentionem, qui, σφάλμα γραφικὸν statuentes, asserunt, vaticinium hoc in Zacharia exstans per incuriam librarii describentis Jeremiæ fuisse attributum, eo quod is pro voce Ζεας posuerit Ιεας. Eminent inter illos PETRUS DANIEL HUETIUS, in cujus Demonstratione (1) Evangelica, Propositionis nonæ capite CXXV. §.1. ita lego: "Verisimile est, librariorum oscitantia evenisse, ut Jeremiæ nomen extruderet nomen Zachariæ. Nam cum propria nomina contrahere Librarii soleant, illa Jeremiæ & Zachariæ sic videntur expressisse, Ιεας, Ζεας: in his proclive fuit primam nominis utriusque literam permutare: nam primam in Ιερεμίας, non pusillam & brevem pingebant, quemadmodum nunc Typographi, sed productam & bene longam; primam verò in Ζαχαρίας non semper ita sinuatam & contortuplicatam, uti in libris editis hodiè pingitur, sed à summo ad imum satis directam, paululum inflexam & prominentem in medio, ansulam in vertice gerentem: quæ si parum accuratè notata erant, ζ in ι facile degenerabat. Ergò apicis similitudine deluso imperito & supino libra-

rio,

(1) Editionis Parisiensis fol. 519.

rio, quod uni & alteri codici inhæserat vitium, in alios ita propagatum est, ut universis propemodum inolefceret.„ HUETIO pollicem premit CAMPEGIUS VITRINGA, qui in Prolegomenis (2) Commentarii sui in Jesaiam scripsit: „Est error librarii, minus attentus, non memoriæ, sed incuriæ & imperitiæ. Cum enim librarius pro more inter eos recepto Nomina propria vel familiaris usus & sæpius recurrentia alia contrahendi, nomen Zachariæ hoc modo pinxisset Ζεα: accepit illud qui descripsit, pro Ιεα, sive Ιερεμια. Literarum enim Ι & Ζ, si hæc incuriosè pingatur, quod ad figuram magna est cognatio.„

## §. II.

At fumos vendunt, qui cum HUETIO & VITRINGA faciunt. Namque I. Sine ulla probatione asseritur, Librarium fuisse oscitantem, qui pro Ζεα posuerit Ιεα. Quâ facilitate hoc affirmatur à quibusdam, eadem facilitate id negatur ab aliis. Non excusamus Librarios, ubi menda eorum (3) sunt aperta, ubi verò adhuc sunt incerta, imò prorsus nulla, oneri ipsis imputationes esse non debent, quæ fundamento carent. II. Tanta non est (4) convenientia literarum Ι & Ζ, ut tam proclivi lapsu inter se permutari possint. III. Nonnisi in nominibus propriis longè (5) frequentissimis adhibita fuit compendiaria scriptio, & quidem parcissimè, secus in rarioribus, qualia sunt, Jeremiæ & Zachariæ nomina propria in Codice Græco Novi Testamenti occurrentia. IV. Scriptura ista compendiaria, quam nuper ipsi (6) magni fecimus, Matthæi Evangelistæ ætatem (7) non attingit. V. Jeremiæ nomen in omnibus

A 3

bus

(2) Editionis Basilensis fol. 23.

(3) Confer. JO. CLERICI Artem Criticam P. III. S. I. c. VIII. & IX.

(4) Vide JO. MILLIUM in N. T. ad h. l. p. 63. unde & CLERICUS l. c. docuit, miseri facillè potuisse Α, Δ & Λ, porro Θ & Ο, nec non Η & Τ, Ε & Σ, sed de permutatione Ι & Ζ, nihil sibi vidimus.

(5) Adde JO. REINHARDI RUSII Harmon. Evang. T. III. p. 1063.

(6) In Oratorum nostrarum Academicarum Triga p. 21. 22.

(7) Vide JO. CHRISTOPHORI WOLFII Curas Philol. & Criticas ad h. l. Edit. secundæ p. 393.

bus (8) ferè & quidem vetustissimis Codicibus manuscriptis extat, non item Zachariæ, hinc inter alia concipi nequit, quomodo hujus contractio urgeri possit, quæ crebriorem ejus citationem & lectionem supponit, quæ tamen nulla est. VI. Fidem humanam ferè superat, errorem quendam graphicum universis propemodum Codicibus manuscriptis infestum fuisse, cum in primis cura antiquæ Ecclesiæ Christianæ fuerit præstantissima circa puritatem Codicis Novi (9) Testamenti conservandam, & si fortè falsa lectio in eum irrepsit, circa illam evellendam, & authenticam lectionem restituendam ea plurimum vigilaverit.

§. III.

Alii nomen *Ieremias* ex margine in textum irrepsisse autumant, & quidem propter compendium Scripturæ non intellectum, cum scilicet adscriptum esset ζε, id est, Ζαχαρίας, lectum fuisse Ιε, id est, *Ieremias*. Si SALOMONI DEYLINGIO (10) fides est habenda, conjectarunt ita CASPAR WASERUS, THEODORUS BEZA, JO. PISCATOR. Et quam vellem, non adprobasset hanc hallucinationem JOHANNES HÜLSEMANNUS de Veteris & Novi Testamenti naturâ, (11) capite nono, §. IV. qui, uti video, idem sentientes allegat JANSENIUM, MALDONATUM, SUAREZIUM. Supponunt hi Viri Docti lectionem hanc marginalem extra dubium esse ponendam, & Matthæum pro more suo in textu saltim scripsisse generaliter διὰ τῆς Περσῆς; addunt præterea testimonium Augustini, vi cujus nomen Jeremiæ in quibusdam Codicibus Latinis suo tempore haud fuerit repertum. Quam frivola verò hæc omnia sint, illicò patebit omnibus, qui norunt, lectiones marginales non esse pro lubitu fingendas, sed testimoniiis idoneis firman-

- (8) Heic omnino inspiciendus est MILLIUS l. c. qui observat in unico duntaxat Codice COLBERTINO 8. Jeremiæ nomen desiderari & Ζαχαρίας nomen legi.
- (9) Ex nostris in primis legi meretur JO. FRICKII Commentatio Theologica - Critica de cura ecclesiæ veteris circa canonem Sacræ Scripturæ, & conservandam Codicum puritatem, c. IV. p. 118-183.
- (10) Observationum Sacrarum P. I. p. 210. Edit. Tertizæ.
- (11) Vide libelli hujus editionem, quæ Lipsiæ prodiit A. MDCCXIV.



firmandas, quemadmodum nec allegationes textuales Prophetarum ab Evangelistis in genere saltim factæ contra consensum Codicum statui debent, ut hypothesi gratis assumptæ inservias. Verum de cætero est, Matthæum subinde generaliter saltim citare Prophetarum dicta, sine expresso vatis nomine c. I. 22. II. 5. 15. XIII. 35. XXI. 4. & in hoc ipso capite XXVII. 35. sed perpetuum hunc ejus morem esse, falsissimum est. Allegat is certè nominatenus Prophetam, ut in hoc loco, ita & alibi expressè Jesaiam, Danielem, quin & nostrum Jeremiam, c. II. 17. III. 3. IV. 14. VIII. 17. XII. 17. XXIV. 15. Demum Codices quidam Latini Jeremiæ nomen non habentes, causam dissentientium non juvant, quia sermo haud est de Versione Latina Novi Testamenti, ejusque autoritate in præsentî negotio, sed de Codicibus græcis manuscriptis tanquam fontibus hujus rei genuinis, unde nec Augustinus ipse autoritatem horum Codicum suspexit, sed aliam prorsus sententiam (12) ad salvandam Matthæi allegationem excogitavit, scriptorem scilicet sacrum memoriâ lapsum Jeremiæ nomen pro Zachariæ nomine posuisse, ipsomet Spiritu Sancto mentem ejus ita moderante, ut pateret, omnes Prophetas Veteris Testamenti uno eodemque Spiritu actos esse.

#### §. IV.

Ejusdem furfuris conjectura est GUILIELMI WHISTONI, Mathematicum Professoris in Academia Cantabrigiensi, quem ob Arianismum loco suo meritò motum fuisse novimus. Pestilens hic vir edidit Tentamen, tradens modum restituendi genuinum Veteris Testamenti textum, & vindicandi citationes inde in Novo Testamento factas, in quo (13) contendit, Pericopam, quæ ex Jeremiâ à Matthæo citatur, revera Jeremiæ fuisse, & seculo primo in Jeremiæ Prophetia lectam esse, vitiosè autem hodiè apud Zachariam deprehendi, in cujus textum violenter admodum sit intrusa per fraudem Judæorum. Vocat WHISTONUS in partes suas Constitutiones Apostolicas, quæ sub Jeremiæ nomine locum allegent,

---

(12) Ex nostratibus hoc loco commendari debet GLASSII Philologia Sacra p. m. 221. sq. ubi & verba Augustini in tota sua connexionè legi possunt.  
 (13) Propof. III. p. 93.

gent, qui hodiè non nisi apud Zachariam legatur. Meminit etiam JOSEPHI MEDI, qui dudum observaverit, plura occurrere Vaticanis apud Zachariam, quæ longè curatius temporibus Jeremiæ congruant. Potuisset adhuc pluribus conjecturam pingere ex MEDO, cujus hæc excerpta luculentissima dedit (14) POLUS: "Nulla scriptura dicit, illa esse Zachariæ, at Jeremiæ esse dicit Matthæus. Quod autem Zachariæ adjunguntur, non magis probat ea ipsius esse, quam probat, omnes Psalmos Davidis esse, quia ipsius Psalmis adjunguntur; aut Aguris proverbia esse Salomonis, quod cum hujus Proverbiis conjunguntur,,"

§. V.

Sed nostrum non est, hosti subministrare arma, quin potius ipsius tricas depellamus, necesse est. Vitiosè hodiè verba à Matthæo allegata apud Zachariam deprehendi summâ negabunt cum fiduciâ WHISTONO, qui opinantur, Matthæum ad Zachariam respexisse, ob circumstantias de triginta argenteis, de eorum projectione in templum Domini, de figulo, cui postea dati sunt, quæ tres circumstantiæ utrobique sunt eadem. Fuisse ea in textum Zachariæ fraude Judæorum intrusa, dicit WHISTONUS, non probat, imo (15) toti antiquitati Judaicæ & Christianæ impudentissimè sic obloquitur. (16) Ex argumento, atque contextu pericoparum id ipsi fuisset arguendum, si aliquem saltim colorem calumniæ inducere & conciliare voluisset. Quod Constitutiones Apostolicas huc advocet, non miror, cum eo usque processerit, ut statuerit, Constitutiones Apostolicas esse librorum Novi Testamenti canonicorum sacratissimum; fordent homini præ hoc opere Biblia Univerfa, quem eapropter depexum dedere (17) Viri Celeberrimi. Denique de obser-

(14) Synopsis Criticorum Volumine Quarto, fol. 622.

(15) Conf. WOLFI Curas Philol. & Crit. l. c. p. 395.

(16) Adde omnino JO. GOTTLOEH CARPZOVII Vindicias Criticas Whistono oppositas, Lipsiæ A. MDCCXXIV. p. 94.

(17) ROBERTUS TURNERUS, RICHARDUS SMALBROKE, JO. ERNESTUS GRABIUS, SIMON OCKELY, PETRUS AL-LIXIUS, JO. CLERICUS. Vide JO. ALBERTI FABRICII Biblioth. Græc.

observationibus quibusdam MEDI quæstio non est, quod faveant WHISTONO, sed de earum veritate. Nec instantiæ (18) de Psalms aliorum Psalterio Davidis, & sententiis (19) Aguris Proverbiis Salomonis insertis huc quadrant, nam inscriptiones Psalmodum & Proverbiorum satis innuunt, num sint Davidis & Salomonis, vel alterius; id quod in postremis Zachariæ capitibus non deprehenditur, quod, licet in Zachariæ volumine extant, nihilominus Jeremiam authorem habeant.

§. VI.

Aliam, sed non meliorem viam ad tollendam difficultatem nostram textualem inierunt Ecclesiæ Romanæ Duumviri, ALPHON-  
B  
SUS

Græc. L. VI. c. I. §. VII. p. 11. qui addit: Licet Whistonus identidem tueri sententiam suam conatus est, vix quinquam tamen antiquitatis ecclesiasticæ peritum confido esse futurum, cui illius argumenta petita longius & conjecturæ leves rem tantam persuadere poterunt. Conf. & B. FRICKIUM l. c. p. 105. 106. Cæterum & RICHARDUS MONTACUTIUS, FRANCISCUS TURRIANUS, JO. CAROLUS BOVIUS & GUILIELMUS BEVEREGIUS magno in pretio habuere Constitutiones Apostolicas, neque tamen eo prolapsi sunt, quo incautè devenit Whistonus, & nihilominus dissentientes Viros Doctissimos rectè omninò experti sunt, JACOBUM USSERIUM, THOMAM ITTIGIUM, JO. PAULUM HEBENSTREITIUM, JO. FRICKIUM, JO. DALLÆUM, NATALEM ALEXANDRUM, & inprimis laudatissimum FABRICIUM Biblioth. Græc. L. V. c. I. in medio §. XII.

- (18) De auctoribus Psalmodum præter Davidem multa congestit lectu haud indigna JO. GOTTLÖB CARPZOVIVS in Introductione ad libros Canonicos Bibliorum Veteris Testamenti P. II. p. 91. seqq. & ante eum PETRUS DANIEL HUETIUS in Demonstrat. Evangel. Propof. IV. fol. 182. seqq. Omnes certè Psalms Davidis esse statuunt TALMUDISTÆ, EUTHYMIUS ZYGABENUS, AUGUSTINUS, BEDA, FINKIUS, TORNIELLUS, alii, qua hypothefi instantia MEDI in textu allata uno ictu videtur depelli posse.
- (19) Quid, si quis cum ABRAHAMO CALOVIO & JO. COCCEJO dixerit, Agurem ipsum esse Salomonem? sed & res in falvo est, si quis eum distinctum esse asserat à Salomone, veluti ex GROTIUS, MERCERO & GEJERO ita pronunciat CARPZOVIVS l. c. p. 159. cui addi potest HUETIUS libro allegato fol. 189. nec non BUDDEI Historia Ecclesiastica V. T. P. II. p. 586. & seq. ubi & PFEIFFERUS pro posteriori sententia citatur.

SUS (20) SALMERON & CORNELIUS à (21) LAPIDE, fingentes, locum nostrum citari à Matthæo ex Codice Jeremiæ jam deperdito. Quo ipso nihil aliud intendunt, quam Sacræ Scripturæ mutilationem inferre, & viam sibi sternere ad palliandum dogma de autoritate traditionum non scriptarum, quod à Nostratibus (22) antiquioribus æquè ac recentioribus solidissimè est explosum. Quemadmodum nec illi audiri merentur, qui, teste (23) WOLFIO, cum COLOMESIO & TURRIANO ad Codicem Jeremiæ (24) Apocryphum, tanquam ad asylum, sed revera ignorantia asylum se recipiunt, ex quo Matthæus dictum nostrum citaverit; quorum in numerum ANTONIUS (25) BYNÆUS refert ISIDORUM CLARIUM, & Dn. BENNELIUS (26) STUNICAM. MILLIUS (27) quidem dubium hoc solvi posse, haud adeò obscurè innuit, si asseratur, scriptorem *ἑσώπνευσον* nequaquam allegare libros apocryphos. Ast vehementer dubito, an hæc responsio istis satisfaciat, qui perspectum habent & exploratum, ipsorum Gentilium (28) dicta quandoque citari in Sacro Codice, cur ergò non etiam loca ex libris apocryphis petita? Præstiterit ergò, fautoribus hujus effugii obvertere, ipsum Hieronymum, non obstante *ἀποκρίσις* (29) Apocryphi Hebraici  
Jere-

(20) Tom. X. tr. 25.

(21) Ad Jerem. XXXII. 14. Vide RUSIUM l. c. p. 1072.

(22) MARTINO CHEMNITIO in Examine Concilii Trid. P. I. fol. 60. sqq. JACOBO HEILBRUNNERO in Uncatholischen Papsttum fol. 560. seqq. Magnif. Dn. Canc. PFAFFIO in Diss. polemica de Traditionum non scriptarum speciebus, valore, certitudine, autoritate, momento & pondere. Summe Reverendo Dn. D. WEISMANNO in Conatu artem causæ invadendi p. 8. seqq. nec non in Notis Courayerii & Calixti in Concilii Tridentini Canones præcipuos ulterius illustratis p. 4. seqq.

(23) In Curis Philol. & Crit. ad h. l. p. 395.

(24) Syllabum apocryphorum Jeremiæ scriptorum dedit CARPZOVIVS in Introd. ad libros Canonicos V. T. P. III. p. 152. seqq. quocum conferri potest HUETIVS in Demonstr. Evang. Propof. IV. fol. 209. 210.

(25) Im gecreuzigten Christo c. XV. p. 522.

(26) In N. T. græco majori p. 493.

(27) Conf. Novum Test. Gr. ex edit. Ludolphi Kusteri ad h. l. fol. 63.

(28) Ita Paulus allegavit Aratum, Act. XVII. 28. Menandrum, I. Cor. XV. 33. Epimenidem, Tit. I. 12.

(29) Adde CARPZOVIVM l. c. p. 154.

Jeremiæ, in quo verba nostra is deprehendit, vadimonium deferere, quando in terminis fatetur, (30) ipsi magis videri dictum è Zacharia esse defumtum.

§. VII.

Majori specie eruditus se probavit sententia JOHANNIS LIGHTFOOTI, Doctoris Angli, qui, prævia traditione Rabbino- rum à Davide Kimchio in præfatione ad Jeremiam citatâ (31) sic infert: "Unde patet, aperte Jeremiam in volumine Prophetarum olim primum locum obtinuisse: atque hinc ejus memoria præ omnibus aliis Prophetis, Matth. XVI. 14. quia ille primus inaccessit in volumine Prophetarum, nominatur ille primus; cum ergo textum Zachariæ sub nomine Jeremiæ proferat Matthæus, verba è volumine Prophetarum citat tantum, sub istius nomine, qui pri- mum locum tenuit in volumine Prophetarum. Cujus farinae est etiam illud Salvatoris, Luc. XXIV. 44. Complenda sunt omnia, quæ de me scribuntur in Lege, Prophetis & Psalmis. In Psalmis, i. e. in libro Hagiographorum, in quo primum locum obtinuit li- ber Psalmorum.", Dicit vix potest, quot viri docti hanc exposi- tionem amplexi sint, GUILIELMUS (32) SURENHUSIUS, JO. HENRICUS (33) MICHAELIS, JO. HENRICUS (34) OPITIUS, JO. (35) SAUBERTUS, MART. CASP. (36) WOLF- BURGIIUS, JOACH. LANGIUS, (37) CHRISTIANUS (38)

B 2

STO-

(30) Verba Hieronymi in connexionione hæc sunt: Legi nuper in quodam Hebraico Volumine, quod Nazarenæ Sectæ mihi Hebræus obtulit, Hieremiæ apocryphum, in quo hæc, & acceperunt &c. ad verbum scri- pta reperi. Sed tamen mihi videtur magis de Zacharia sumtum testi- monium.

(31) In Horis Hebraicis & Talmudicis in omnes Evangelistas, edit. Lips. de anno 1675. p. 489.

(32) Libro *Καταλλωγης* ad h. l.

(33) Diss. de Codicibus Bibliorum manuscriptis.

(34) Diss. de Jeremiâ inter majores Prophetas primo.

(35) In palæstra Theologico-Philologica, quæ Noribergæ prodiit A. 1678.

(36) Observ. S. in Nov. Test. ad h. l.

(37) Im Evangelischen Licht und Recht. P. II. f. 364.

(38) Evolvatur Clavis Linguae sanctæ N. T. p. 484. 485.

STOCKIUS, & imprimis JO. GOTTLÖB (39) CARPZOVIVS, qui insigni cum fiducia Lightfooti interpretationem defendit. At excipiebant alii non minoris commatis Viri, quod à traditione Rabbīnorum, quam ex Codice quodam Talmudico protulit Lightfootus, ad rei veritatem non valeat consequentia. "Ordo enim ille, uti inquit (40) DEYLINGIUS, non est antiquissimus, nec à magno Judæorum Senatu introductus, sed sequioribus demum seculis sine urgente ratione adsumtus. Id circo ipsi hodierni Judæi traditionem hanc parvi faciunt, & vehementer impugnant, quemadmodum ex (41) Abarbanele & Kimchio eruditè offendit JO. FRISCHMUTHUS in Diff. ad Zach. XI. 12. 13. c. III. §. X. XI. „ Quod concernit locum Matth. XVI. 14. is Lightfooto prorsus non faveat. Nam (α) erroneas is Judæorum de Christo opiniones in se continet. (β) Jeremias in eo non dicitur Prophetarum primus. (γ) Elias ipso antiquior, rectè ipsi præponitur. (δ) Si de primitate, ut ita loquar, Jeremiæ ex professo heic ageretur, non fuisset ipsi præponendus Johannes Baptista, magno temporis intervallo eo posterior. (ε) Si Jeremias loco omnium Prophetarum poneretur, non addidissent discipuli ex sententia Judæorum ἡ ἐν τῶν Προφητῶν. Tandem nec Luc. XXIV. 44. Lightfootum juvat, nam uti disco à CAMPEGIO (42) VITRINGA, iidem illi Doctores Talmudici, qui in Codice Bava Bathra Jeremiam Jesaïæ proponunt, Psalmis non dant primum in Hagiographis locum, quod falsissimè supponit Lightfootus, sed secundum, quæ observatio expositionem Lightfooti uno ictu jugulat. Taceo, in textu de Hagiographis nil haberi, & interpretationem Lightfooti paulò esse insolentiorē. Dubito etiam, an Servator nomine Psalmorum omnia Hagiographa intellexerit, cum in horum numero sint, quæ de Messia nulla contineant vaticinia; Servator autem de illis Veteris Testamenti libris sermonem fundit, qui prædictiones de se habeant ad unam omnes

im-

(39) Vide Vindicias Criticas Whittono oppositas p. 80. & Introd. ad libros Canonicos V. T. P. III. p. 127.

(40) Observ. S. P. I. p. 213.

(41) De Abarbanele lectu dignissima habet VITRINGA in Proleg. ad Jesaïam fol. 20.

(42) l. c. fol. 22.

implendas. Ad extremum, non abs re fuerit in genere annotasse, *πρωτον ψευδος* Lightfooti hoc esse, eam in citandis locis Prophetarum consuetudinem apud Scriptores N. T. sacros obtinuisse, ut eum duntaxat nominaverint Prophetam, qui primus fuit. Cur verò citantur & Jesaias, & Daniel, (43) nec potius ubique loco horum Jeremias allegatur?

§. VIII.

Fortè verò Zacharias fuit binominis, & præter hoc nomen etiam habuit nomen Jeremiæ, quod posterius licet minus notum allegavit Matthæus, omisâ Zachariæ compellatione? Tribuitur hoc effugium GERHARDO JOHANNI (44) VOSSIO, FRANCISCO

B 3

(45) JU-

(43) Liceat nobis ad ulteriorem Lectoris cognitionem inferere, quæ laudatus modo VITRINGA l. c. fol. 22. annotavit: "Matthæum, in speciali versantem argumento, de quo unus tantum Prophetarum scriptum aliquod reliquerat Zacharias, cæteri verbum nullum meminissent, neglecto hujus Prophetæ nomine, appellare potuisse Jeremiam, hoc solum argumento, quod primo in classe Prophetarum loco poneretur, à ratione scribendique usu ac more alienissimum est, nec ullo exemplo facile illustrari poterit. Ut enim hoc tempore absurdus haberetur, vel erroris manifestus, qui locum ex Exodi vel Deuteronomii Libris producturus, Genesin designaret; vel ex Regum aut Samuelis Libris Josuam, quod nimirum ille Legalium, hic Prophetarum Historicorum primus esset: Sic omninò excusari à singularitatis vitio non posset Evangelista, si hunc in modum instituisset. Prophetarum enim majorum libri separatis constiterunt voluminibus; nec potuit eorum qualiscunque conjunctio, si in unum compingerentur, argumento esse, ut alterius nomen pro altero usurparetur. Imo cum Hoseas principem inter duodecim Prophetas in unum volumen digestos locum obtinuerit: Ferendus tamen non esset, qui in citando qualicunque Propheta illius ordinis alio, Hoseæ nomen appellaret loco Joelis, Amosi, Malachiæ, quanto minus Jeremiæ, inter quem & Zachariam longè major est conjunctio? Tum præterea quis, re diligenter animadversa, sibi seridè persuadeat, Evangelistam Prophetæ nomen expressurum, cum eadem opera Zachariam scribere vel dicere posset, cujus nimirum verba allegabat, nomen Jeremiæ absque ullâ ratione, nullâ urgente necessitate, absque suo & aliorum scriptorum exemplo, illi voluisse substituere? Certe non est illud è sacrorum scriptorum more, nec prudentium hominum, ut citra necessitatem paradoxo sint."

(44) In Harmoniâ Evangelicâ ad h. l.

(45) JUNIO, JOHANNI (46) AFFELMANNO, SEBASTIANO (47) SCHMIDIO, aliis. (48) Præ hisce omnibus tamen commendandus est FRANCISCUS (49) GOMARUS, qui, postquam hujus interpretationis meminerat, ait: "Eam expositionem tanquam simplicissimam, & minimis difficultatibus obnoxiam lubenter amplectimur. Pergit Gomarus: Licet Zachariæ alterum nomen, nempe Jeremiæ, in Veteri Testamento nullibi ei tribuatur; inde tamen non sequitur, eo caruisse, aut vulgo etiam id non fuisse traditione notum, & à Spiritu S. hoc loco, libero delectu nominis positum. Neque homonymia (quasi erroris periculum esset) hic objici potest: quia verba Jeremiæ hic attributa, cum sint non ex altero Jeremia, sed ex Zacharia desumpta, eundem satis indicant, & ab altero Jeremia Propheta citra erroris periculum distinguunt. Tandem exempli loco provocat ad Matth. XXIII. v. 35. in quo Zachariæ occisi pater vocetur Barachias, qui tamen non eo, sed altero tantum nomine Jodada appelletur 2. Chron. XXIV. 21.

§. IX.

Verum enim verò nondum nos poenitet dixisse, hanc interpretationem esse merum effugium. Quis enim credat, Matthæum Zachariam nomine suo minus noto, quod ipsi in V. T. nullibi tribuitur, allegasse? quæ methodus citandi vaticinia scripturam sine ratione redderet intellectu difficillimam, & inductione exemplorum idoneorum destituitur, præsertim cum audito vel lecto in scripturis Jeremiæ nomine nullus alius concipiatur, quam Propheta ille, qui Jesaiam immediatè in ordine nostro biblico excipit. Esto præterea, ex eo, quod Zacharias in V. T. nunquam vocetur Jeremias, non sequi, hoc nomine eum caruisse; putem tamen, nec inde consequi, quod hoc nomen habuerit, veluti, & traditio Judæo-

(45) Conf. Parallela sacra, quæ A. 1588. prodierunt.

(46) Adde ejus syntagma.

(47) Vide ipsius dissertationem de Venditione Christi.

(48) Annúmerat his BALDUINUM & TARNOVIUM Calovius in Bibl. illust. ad h. l. f. 451.

(49) Operum Theolog. P. I. fol. 143, quæ Amstelodami A. MDCLXIV. lucem viderunt.



Judæorum oralis nimium elevanda haud est, ubi cætera, quæ cum illa miscentur, adhuc sunt imparia, & quod insigne prorsus est beneficium, ex literâ Sacri Codicis apertâ determinari queunt. Denique non negamus, Spiritum Sanctum liberrimum nominis alterius delectum habere, ubi Propheta, cujus dictum ab ipso suppeditatur, revera fuerit binominis; hoc in Zachariâ GOMARUS saltem supponit, non probat. Secunda ipsius observatio ex aliquot rationibus haud sanè levibus nobis perquam molesta est. Nam periculum homonymiæ non debuisset extenuare GOMARUS, quippe qui nosse potuit & debuit, quot errores per abusum homonymiæ fuerint orti, & si mens haud satis sit provida, facillimam in scepticismum hermenevticum prolabendi sic patere viam. Accedit, opus profectò fuisse aliquâ distinctione, si Zacharias vocatus sit & Jeremias, ne quis hunc cum alio Propheta Jeremia confunderet, quæ verò textui non est addita. Finis quippe scripturæ est, ut distinctam, non confusam, uti rerum, ita etiam personarum sacrarum cognitionem nanciscamur. Falsum porrò est, verba nostra non esse Jeremiæ, licet in ejus Prophetiâ, quæ superest, non legantur; neque extra omnem litem poni debet, oraculum nostrum petiitum esse ex Zacharia, quum inter hunc & Matthæum insignes oberferentur differentiæ. Ultimo denique loco GOMARUS allato exemplo nihil proficit, cum exempla non probent, sed illustrent. Neque nos ex illorum sumus numero, qui cum GLASSIO, (50) LIGHTFOOTO, (51) HILLERO, (52) HEDINGERO, (53) STOCKIO, (54) TOSSANO, (55) CLERICO, (56) aliisque existimant, innui Matth. XXIII. 35. Zachariam, filium Barachiæ, qui & dictus fuerit Jojada 2. Paralip. XXIV. 19. 20. 21. Nostra potius sententia est, respectum haberi ad factum eo tempore, quo Servator hæc pronunciavit, adhuc futurum, & intelligi debere Zachariam

- (50) Philol. S. L. I. Tr. II. p. m. 215.  
 (51) Horis Hebr. & Talmud. in omnes Evangelistas p. 435. seqq.  
 (52) Onomastici sacri parte posteriore, p. 957.  
 (53) In glossa ad Matth. XXIII. 35. p. 79.  
 (54) Videri potest ejus Clavis linguæ sanctæ N. T. p. 434.  
 (55) Comment. Bibl. ad N. T. p. 40.  
 (56) Conf. Animadversiones in Hammondum P. I. fol. 100.

chariam Baruchi filium , qui immediatè ante excidium Hierosolymitanum in templo innocenter fuit occisus ; quâ quidem in parte idem sentiunt (57) CALMETUS, (58) COCCEJUS, (59) HAMMONDUS, (60) BOYSIUS, nec planè reticendus est magnus GROTIUS. (61)

§. X.

Ordo instituti nostri postulat, ut illorum jam opinionem sub incudem revocemus, qui *σύγχυσιν* duorum vaticiniorum comminiscuntur, tollendâ difficultati verborum nostrorum accommodatam. Non alienus est ab hac interpretatione SALOMO GLASSIUS, qui ea, quæ CASPAR SANCTIUS hanc in rem consentiens conglomeravit, prolixè commemoravit. (62) Eandem tibiam inflavit CAROLUS (63) de VEIL, inprimis vero pro eâ tanquam pro aris & focis depugnavit DANIEL HEINSIUS, in cujus Exercitationibus Sacris ad N. T. (64) inter longam conciliationem Zachariæ & Jeremiæ lego : “ Est igitur duorum, quos adduxit (Matthæus) è duobus Prophetis locorum *σύγχυσις*. „ Et meridiano soli profectò obloqueretur, qui hunc Scriptoribus N. T. allegandi Veteris Testamenti oracula familiarem morem inficiaretur. Vide Matth. XXI. 5. coll. Jes. LXII. 11. & Zach. IX. 9. Matth. XXI. 13. coll. Jes. LVI. 7. & Jerem. VII. 11. A&I. 20. coll. Pf. LXIX. 26. & CIX. 8. 1. Pet. II. 7. 8. coll. Pf. CXVIII. 22. & Jes. VIII. 14. Proinde non repugnare videtur, si asseratur, dictum de pretio triginta argenteorum

(57) Comment. in Matthæum p. 505. Vide WOLFII Curas Philol. & Crit. in IV. Evang. p. 334.

(58) Conf. ejus scholia ad h. l. & WITSH Miscell. S. T. I. p. 268.

(59) Vide Annotationes in N. T. P. I. fol. 100.

(60) Inspici meretur ipsius Stern und Kern aller Episteln und Evangelien durchs ganze Jahr. P. V. p. 30. 31.

(61) Adde & Balduini Walæi Commentarium in Libros Historicos N. T. p. 260.

(62) Philol. S. L. I. Tra&I. II. p. 222. seqq.

(63) In Explicat. Evang. Matth. ad h. l. Vide VITRINGÆ Prolegomena in Jesaiam fol. 23.

(64) fol. 86. Edit. quæ Lugduni Batavorum A. 1639. prodit, cui Aristarchus Sacer annexus est.

rum esse ex Zacharia, circumstantiam autem de agro ex Jeremia; causam præterea, quare Matthæus nomet Jeremiam, non Zachariam hanc esse, quod rationem reddere is voluerit, non tam pretii, quo Christus emptus fuerit, quo de loquitur Zacharias, quam agri eo pretio empti, de quo nihil habet Zacharias, dixit vero Jeremias. Quantamcunque vero hæc omnia speciem habeant, nondum tamen à nobis impetrare possumus, ut *ἡλίω* Heinsianam faciamus nostram. Etenim haud apud omnes in confesso est, Matthæum respexisse ad Zachariam, unde MARCKIUS: (65) "Nimiam (adeft) diversitas, tum in Jeremia nominato pro Zacharia, tum in verbis ipsis aliis longè per additionem, detractionem & mutationem magnam. Quibus addi possunt, quæ collegit FRANCISCUS (66) RIDDERUS. (67) Et cum allegatio Matthæi neque

C ex

(65) Comment. in duodecim Prophetas minores, Edit. Tubing. fol. 1113.

(66) Conf. ejus Siebenerley Geschichte in der Geschichte des Leidens und Sterbens unfers Herrn JESU Christi p. 653. 654.

(67) Ex nostrâ autem qualicunque collatione Prophetæ & Evangelistæ visum est, dare saltim sequentia. Primò, Propheta ipse Zach. XI. 13. accepit argenteos: apud Matthæum fecit hoc Judas, C. XXVII. 3. 5. Secundò, Propheta divino jussu accepit argenteos, Zach. XI. 13. Judas non item, mancipium jussu Diaboli jam factus Luc. XXII. 3. Tertio, Zacharias projecit divino jussu argenteos in domum Domini: Judas desperationi proximus suos argenteos projecit in templum. Quarto, Zacharias suos argenteos in domum Domini projecit in gratiam figuli: hanc circumstantiam Matthæus Judæ non tribuit, quippe cui figulus non in animo erat, sed sacerdotibus in summo gradu hypocritis, distinctissimis à Juda subjectis. Quintò, Propheta de se solo affirmat, se accepisse illos triginta argenteos: Matthæus habet *ἑλᾶσθον*, quod perperam quidam vertunt in primâ personâ *accepit*, quia id faciunt contra consensum Codicum Græcorum, & contra contextum, qui *ψ. 10.* in una eademque serie ponit *ἔδωκαν*, non *ἔδωκα*. Sexto, Matthæus meminit in terminis tam filiorum Israelis, quam agri, de quibus apud Zachariam altum est silentium, veluti & Septimo, verba Matthæi, *καθὰ συνήθειάν μου Κύριος* in Zacharia non leguntur, qui habet *בית ירושלם* quocum sentiunt LXX. Interpretes, qui præfigunt in Editione Breitingeriana Versionis Septuaginta viralis præpositionem *ἐἰς οἶκον Κυρία* Tomo III. p. 73.

ex Jeremiæ C. XIX. v. 3. seqq. (68) uti contendit HEINSIUS, (69) neque ex Jer. C. XXXII. 7. seqq. (70) uti arbitratur SANCTIUS, (71) & post eum FRANCISCUS (72) WOERGERUS, petita sit, quæso, quomodo locum invenire potest *σύγχυσις*, sive coalitio duorum oraculorum propheticorum in unum Evangelistæ locum?

Ad

(68) Nam Jeremiæ XIX. v. 4. & 6. alia profus oïla fractæ causa assignatur, peccatum scilicet idololatriæ, quam quæ profertur ab Evangelista, de pretio pro innocente sanguine soluto in thesaurum sacrum non reponendo. Dein haud videmus, quomodo vallis occisionis, v. 6. memorata huc quadret. Accedit, Prophetam Jeremiam nil habere de agro empro, nil de ejus pretio, nihil de sepultura peregrinorum, ad quam is fuit destinatus, quæ omnia curatè notavit Matthæus. Paucis: quomodo olla figuli fracta apud Jeremiam cum agro figuli in Matthæo converti potest? Rem dixit CALOVIUS in Bibl. Illustr. N. T. f. 451. "Jeremias justus tantum est, sibi figulinam ollam, non agrum emere, eamque in valle BenHinnom confringere, quod eâ ratione civitas & populus confringi debeant, & in Thopheth sepeliri: quia locus alius non supererit.,"

(69) l. c. fol. 86.

(70) Equidem I. Emens in citato capite erat Propheta: apud Matthæum Senatus Judæorum. II. Emtionis pretium apud Prophetam sunt decem sicli & decem argentei: apud Matthæum triginta argentei. III. Finis agri Prophetici fuit signum libertatis ex captivitate sperandæ: scopus agri à Senatu Judaico emti erat sepultura peregrinorum. IV. Ager Prophetæ cessit quidem peregrino ad tempus, sed redituro suo tempore ex exilio in patriam: at ager Matthæi peregrinis non rediturus in patriam. V. Ager Jeremiæ erat peregrini vivi: Matthæi ager peregrinorum mortuorum. VI. Ager Prophetæ fuit ager benedictionis, nimirum quod terra adhuc culturam sit habitura: Ager Matthæi fuit ager maledictionis, ager quippe dictus sanguinis. VII. Ager Prophetæ non dicitur figuli, sicut in Matthæo appellatur, & VIII. cognationis jure fuit emptus, de qua circumstantia nullum in Evangelista comparet vestigium. Ut proinde capere haud possumus, quomodo JO. HENRICUS MAJUS in Examine Historiæ Criticæ Simonianæ p. 474. scribere potuerit: "Simplicissimè dicitur, esse allegationem è Jeremiâ, quoad partem tantum.," Illud verò egregium est, quod GLASSIUS vi veritatis adactus ipse passus fuerit, quædam esse contortiora, & duriusculam analogiam. Itaque ergo habemus reum consistentem, quod sufficit.

(71) Vide GLASSIUM l. c. p. 224.

(72) Vide ejus harmoniam Matthæi cum Jeremiâ facilem atque expeditam super agro sanguinis.

Ad aliud vero caput Jeremiæ nemo horum Interpretum, quantum memini, unquam provocavit Si quis urgeat Jeremiæ Caput XVIII. v. 2. & sequentes, nihil dicet, quod ad solidam convictionem lectoris hac in re faciet, cum præter nomen figuli nihil ibi habeatur, quod huc trahi possit, & comparatio ista ad verba Matthæi obscuranda potius, quam explicanda inserviret. Nec confugere licet ad Jer. XXXI. 38. 39. 40. nisi incertissimæ conjecturæ indulgere, teque gravissimo eruditorum dissensui exponere velis. Unde etiam neminem novimus, qui in partes CHRISTOPHORI SLEGELII concesserit, qui, teste CALOVIO, ex altero horum locorum allegationem Jeremiæ à Matthæo factam exponere voluit, in dissertatione de Agro sanguinis juxta ductum historicæ descriptionis & prophetiæ allegatæ Matth. XXVII. 3 - 11. pressius consideratum. (73)

§. XI.

Mireris etiam, post tot ventilationes allegationis nostræ præter Patres (74) Ecclesiæ primitivæ fluctuare viros præstantes, JOHANNEM (75) HÜLSEMANNUM, JO. GEORGIUM (76) C 2 DOR-

(73) Vide & WOLFII Curas Philologicas & Criticas l. c. p. 392.

(74) De Origene & Eusebio id testatur Dn. BENGELIUS in Novo Testamento Græco Majori p. 493. 494.

(75) Is in tractatu de Veteris & Novi Testamenti naturâ C. IX. §. IV. sequentia posuit: "Potuit fieri, quod vel à librario hoc insertum fuerit nomen, & ex margine irrepsit in contextum: Vel hoc oraculum primò à Jeremiâ dictum, ac memoria hominum conservatum, à Zacharia reasumptum, & literis mandatum fuerit, uti H. Grotius in h. l. sentit: Vel Evangelistæ divinâ providentiâ unius Prophetæ nomen pro alio occurrisset, ad innuendum, uno eodemque Spiritu Prophetas impulsos fuisse: Vel hoc testimonium ex Jerem. XXXII. & Zach. XI. coaluerit, & unius tantum nobis nomen posuerit Evangelista., Elige ergo responsionem, quam velis, non errabis.

(76) Ex hujus mente statuendum est: aut verba illa *divina* abundare, & delenda esse, aut dicendum id, quod Grotius dicit in Commentario in IV. Evangelistas. Is vero asserit, hoc vaticinium ab Jeremia primitus prolatum,

DORSCHEUM, SALOMONEM (77) DEYLINGIUM, JO. CHRISTOPH (78) WOLFIUM, JO. (79) MARCKIUM, HENRICUM (80) HAMMONDUM, & ex civibus nostris JO. (81) KAISERUM. Neque dubitamus, annumerare his BALDUINUM WALÆUM, qui in Novi Testamenti libris historicis, græcis & latinis, perpetuo Commentario ex Antiquitate, Historiis, Philologia illustratis, & Amstelodami Anno superioris sæculi sexagesimo secundo editis, p. 317. 318. & 319. anceps hæret inter sententiam HEINSII & GOMARI, ut lector nesciat, cuinam horum Interpretum calculum suum adjiciat. Dicamus rotundè cum

ABRA-

tum, sed non relatum ab eo in prophetiam, verum memorià hominum conservatum, & tandem per Zachariam Θεωρεωσων repetitum esse, & in codicis scripturæ N. T. canonem redactum à Matthæo.

- (77) Facit hic profus cum DORSCHÉO, quod patet ex Observ. S. P. I. p. m. 214.
- (78) Postquam is asseruerat, interpretationem Grotii cæteris præferendam esse, addit in Curis Philol. & Crit. ad h. l. p. 395. "nisi illam locum habere posse putes, quæ ad ordinem & situm vaticinii Jeremiæ in Prophetarum majorum classe respiciendum putat."
- (79) Namque l. c. ita scripsit: "Nos illuc maximè propendimus, ut, vel descriptorum in Matthæo agnoscamus vitium, inscii, quomodo id in tantum non omnia exemplaria irreperit; vel potius Jeremiæ tribuamus citatum illud vaticinium, ab ipso non scriptum, sed à Judæis traditione aut literis servatum, quod verò ab ipso profectum fuisse per singulare Spiritus lumen cognoverit Matthæus, cuicque in multis simile etiam heic habeat Zacharias, uti in aliis idem dissimile est."
- (80) Conf. Annotationes in N. T. cum animadversionibus Johannis Clerici T. II. fol. 326. ubi ita lego: "Solvi potest hic nodus, si dixerimus, fuisse hæc inter Jeremiæ vaticinia, quæ nunc quidem non existant, sed quæ traditione constabat ab eo esse profecta, deinde in Zachariæ scripta translata, pro dicto Judæorum, Spiritum Jeremiæ requievissè in Zacharia; vel si respondeamus, tria postrema Zachariæ Capita, X, XI, & XII. esse revera Jeremiæ, quamvis, ut Psalmi aliorum sunt Davidicis adnexi, & Aguris sententiæ sunt Salomonicis subjunctæ, sint addita prophetis Zachariæ, quia fortè post captivitatem demum in lucem edita sunt."
- (81) Vide ejus diss. de allegatis Veteris Testamenti in Novo p. 2. quæ inquit: "Binominem fuisse Zachariam apparet, uti plures fuisse demum conficit in N. T. Nisi ex traditione desumptum malis, uti Magorum Ægyptiacorum nomina."

ABRAHAMO (82) CALOVIO, D. (83) KESSLERO, JO. REINHARDO (84) RUSIO, Matthæum citasse DICTUM PER PROPHETAM, nec opus esse, ut vel cum JO. (85) MILLIO ἐπερχὴν eligamus, vel cum ANTONIO (86) BYNEO illa Calvini nostra faciamus: “ Quomodo Jeremiæ nomen irreperit, me nefcire fateor: nec anxie laboro. Certè Jeremiæ nomen errore positum esse pro Zachariâ, res ipsa ostendit.,

§. XII.

Commendatur autem interpretatio nostra α) à verbis Matthæi, ὅσα ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ Ἰερεμίας τῆ προφήτε λέγοντος, quæ prout jacent, *ditionem*, non *scriptionem* Prophetæ, & quidem bis innuunt, quando præter τὸ ῥηθὲν, προφήτης quoque λέγων introducit. β) Quoniam verba nostra nullibi deprehenduntur scripta in Jeremia, temerarium esset, *dictum* permutare cum *scripto*, quemadmodum ex adverso temerarium quoque foret, *scriptum*, si revera exstaret, restringere ad τὸ ῥηθὲν. γ) Modus hic loquendi familiaris est Matthæo, ut per τὸ ῥηθὲν intelligat *dictum* scripto contradistinctum. Matth. II. (87) 23. V. 21. (88) & in primis ψ. 43. Nec obest locus ex Matth. XXI. 4. ubi τὸ ῥηθὲν etiam usurpatur de vaticiniis scriptis, quia hæc vaticinia ex eorum numero sunt, quæ & *dicta* & *scripta* sunt, quod ita se non habet cum allegatione nostra. Hinc acutè CALOVIVS: (89) “ Quam-

C 3 vis

(82) Conf. Biblia Illustrata N. T. fol. 452.

(83) Vocat cum in partes laudatus modo CALOVIVS I. c.

(84) Tomo tertio Harmoniæ Evangelistarum p. 1071. 1072.

(85) In Notis ad N. T. fol. 63.

(86) Im gecreuzigten Christo p. 524.

(87) Conf. Reverendissimi Dn. Cancellarii nostri PFAFFII Notas exegeticas in Matthæum p. 72.

(88) Vide eundem librum p. 90. & 98.

(89) I. c. fol. 452.

vis τὸ πρῶτον etiam interdu occurrat, cum scriptura allegatur, tamen strictè hic adhibitum esse, dubitandum non est, ubi tale vaticinium allegatur, quod in Veteri Testamento nusquam legitur. ,,  
 δ) Non infrequentes sunt ejusmodi allegationes ex traditione orali profectæ, (90) quorsum GROTIUS (91) refert 1. Cor. II. 9. Eph. V. 14. Jud. ψ. 14. 15. (92) Prophetæ etiam ε) plura dixerunt, quam scripserunt, ut adeo mirum esse non debeat, Matthæum dictum Jeremiæ & quidem plenum (93) eapropter allegasse, ut in ulteriorem hominum notitiam id perveniret, non eorum saltim, qui Evangelistæ tempore vixerunt, sed etiam illorum, qui vitam tamdiu habituri sint, quamdiu DEO placuerit, usum incomparabilis verbi sui scripti mortalibus ex singulari suâ gratiâ concedere, & quibus non contingat, traditione istâ Judæorum orali amplius perfrui, quippe quæ dudum jam finem suum nacta est, postquam in locum Ecclesiæ Judaicæ successit Ecclesia nostra Christiana, Quin nec ε) ipsius Servatoris dicta & facta omnia scripto tradita sunt, Joh. XX. 30. XXI. 25. ut proinde GOMARUS

(90) Huc quippe refertur recens Pauli 2. Tim. III. 8. quod Jannes & Jambres fuerint magi in Ægypto. Taceo, quosdam patres citari in Genealogia Josephi à Matthæo data C. I. 14. 15. quorum in Veteri Testamento nulla commemoratio facta est, de quibus eapropter asseritur, Matthæum eos allegasse ex tabulis Judæorum genealogicis, ope traditionis oralis, quas dein illi studiosissimè & conscribent & asserbant in locis publicis, archivis urbium & in templo Hierosolymitano. Adde POLI Synopsin Criticorum Volumine quarto fol. 16.

(91) Operum Theologicorum Tomo Secundo Edit. Basil. f. 264.

(92) Pariter & WITSIUS cum GROTIUS sentit in Comment. in Epistolam Judæ §. XLI.

(93) Digna sunt, quæ inferantur illa CALOVII l. c. " Quia tam prolixè verba Prophetæ Jeremiæ adducit, eademque ἀπολεξῆς, translata tamen in Græcum, recitat, ecquis dubitare potest, eadem à Prophetâ, quem ita λέγων & DICENTEM facit Evangelistâ, seu loquutum esse perhibet, prolata esse? "



RUS (94) in hujus rei illustrationem provocet ad Act. (95) XX. 35. 1. Cor. XV. (96) 6. ζ) Expositio nostra nullam textui infert corruptelam, sed omnia sponte suâ fluunt, prout ab immediatâ inspiratione Sancti Spiritus sunt profecta. η) Abstrahit eadem à Propheta Zacharia, ex quo supra ejusmodi difficultates attulimus, quæ non sunt de nihilo. (97) Hanc cautelam si commendatam sibi habuissent ex Criticorum numero haud pauci, iidemque multæ eruditionis vastæque lectionis Viri, non opus habuissent, ut tanto cum labore se torquerent, ad producendam conciliationem Prophetæ cum Matthæo, quæ in omni suo eodemque plausibili admodum ambitu omni planè exceptione nondum est major, nec major, uti convictissimi sumus, erit futura unquam. θ) Retinet porrò interpretatio nostra nomen Jeremiæ, quod post Codices græcos, si ab unico Colbertino (98) octavo dif-

(94) T. I. Operum fol. 143.

(95) Vide Magnifici Dn. Cancellarii PFAFFII Dissertationem Theologicam Morales in Oraculum Christi *ἀγγαρον*, Estote Probi Nummularii p. 3. & LINDHAMMERI Comment. in Acta Apost. f. 703.

(96) Adde HAMMONDI Annotat. in N. T. P. II. f. 129.

(97) Aliter visum est Dn. BENGELO, qui in Gnomone nuperrimè edito ad h. l. p. 156. scripsit: "Apertè apud Zachariam hæc verba existant: quem Matthæus non ignoravit C. XXI. 4.," Momenta certè, in quibus Matthæus à Zachariâ differt, majorem faciunt numerum, quam circumstantiæ, in quibus duo scriptores sacri consentiunt. Id autem non venit in questionem præsentem, an Matthæus ignoraverit Zachariam, quod nemo nostrum affirmat, sed cur Matthæus pro Zacharia allegaverit Jeremiam? Exemplum etiam allatum ex Matth. XXI. 4. huc non quadrat, eapropter, quia allegatio ista saltim est generalis, ut impleatur dictum per Prophetam dicentem, nostra vero est specialis imò specialissima, quoniam Matthæus nomen Jeremiæ expressit.

(98) Dissensus hujus Codicis tantus haberi non debet, cum, jure MILLIO, in Pro-

discefferis, manuscriptos omnes habere dicuntur *1)* ex Interpretibus Arabs, & Æthiops: *12)* ex Patribus Ecclesiæ Tertullianus, Hieronymus, Chrysoſtomus, (99) Theophylactus, & *13)* plures alii fontes egregii à Digniffimo Herpprechtingensium Præposito Dn. (100) JOANNE ALBERTO BENGELIO, non sine magnâ eâque laudabili diligentia adaperti, à nobis verò propter præſentis inſtituti brevitatem ſuo loco jam relinquendi.

Prolegomenis ad N. T. §. 1492. ſcripturam referat mirè depravatam, unde inter alia colligit MILLIUS, Codicem hunc ex iis fuiſſe, quos in uſum Occidentalium, ex interpolatis ac mirificè corruptis Græcis ſuis, Scribæ linguæ iſtius rudes exſcriperant.

(99) Ad Chryſoſtomum inprimis provocat & JO. GEORGIUS DORSCHÆUS in Pentadecade Diſſertationum Theologicarum p. 138.

(100) In N. T. Græco majori p. 493.

F I N I S.




ad 2.


00 A 6426

ULB Halle  
002 927 322  
ULB Sachsen-Anhalt  
Altenstecken  
Datum: 2008 56.

L WA 2







DISSERTATIO ACADEMICA  
DE  
**ALLEGATIONE  
JEREMIÆ**  
à **MATTHÆO**  
C. XXVII. ψ. 9. & 10. FACTA.

Quam  
Deo Juvante  
*PRÆSIDE*  
**JOHANNES ADAMO  
OSIANDRO,**  
Græcæ Linguæ Professore Publ. Ord.  
Pro Gradu Magisterii legitimè obtinendo,  
Die *Maji A. MDCCXLII.*  
In Auditorio Philosophorum æstivo publicæ ventilationi  
submittit  
**JOHANNES LUDOVICUS HARTMANN,**  
Neomontanus,  
Serenissimi Stipendiarius & Magisterii Philof. Candidatus.

---

*TUBINGÆ,*  
Literis PFLICKII & BAUHOFII. *60*

24

24